

burin. *de Jure*; Abbas, tom. I, disp. 15, q. 19. communissima aliorum. Et quidem de immunitate reali quoad bona primi generis, et secundi generis specificati supra num. 226. vix est controversia. De bonis autem tertii generis necnon de immunitate personali, et universaliter de quavis probatur clarissimis textibus c. *Quaquam de Censib.* in 6, cujus textum vide supra num. 229. et concil. Trident. sess. 25. *de Reform.* cap. xx, ubi expresse ait: « Ecclesie et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam esse. » Concordat c. *Nimis*. 30. *de Jurejurand.* Eamdem sententiam late probavimus, et contraria fundamenta refutavimus lib. II, tit. II, *de Foro competent.* § 9. a n. 193. usque ad finem, ubi vide.

236. *Non valet consuetudo contra eum.* — Infertur, quod contra immunitatem realem, aut personalem nulla etiam immemorialis consuetudo aut prescriptio valeat; quia contra jus divinum nulla valet consuetudo, c. fin. *de Consuetud.* Imo, eisi dato, non concessio, immunitas prefata de jure divino non esset, tamen contra eamdem nec licita, nec valida foret consuetudo; quia talis consuetudo expresse vocatur corruptela, cit. c. *Quaquam de Censib.* in 6, ibi: « Contraria consuetudine quorumcumque, que dicenda est corruptela verius, non obstante. » Eamdem illationem, quod videlicet nulla consuetudo etiam immemorialis contra immunitatem, et libertatem ecclesiasticam valeat, late probavimus lib. I, tit. IV, *de Consuetud.* § 3. a nu. 61.

§ X.

DE ONERIBUS, PRÆSTATIONIBUS, ET EXACTIONIBUS A QUIBUS ECCLESIE, ECCLESIASTICÆQUE PERSONÆ, ET BONA IPSARUM VI IMMUNITATIS REALIS, ET PERSONALIS SUNT EXEMPTÆ: UBI IN SPECIE DE ORDINARIIS ONERIBUS, AC TRIBUTIS, VECTIGALIBUS, GABELLIS, ET EXTRAORDINARIIS EXACTIONIBUS TEMPORE COMMUNIS NECESSITATIS.

237. *Ecclesie personæque ecclesiasticæ et res earum sunt immunes ab omnibus exactionibus ac tributis.* — Queritur I. A quibus oneribus, præstationibus, et exactionibus, etc., ecclesie ecclesiasticæque personæ, et res ipsarum etiam propriæ per immunitatem

realem, et personalem sint immunes et exemptæ? Resp. I. Ab omnibus et singulis quomodocumque nuncupatis, tam personarum, quam realibus, quæ non vi domini directi, quod alius habet, vel vi specialis pacti aut contractus rebus illarum inhærent. Hæc conclusio quavis abunde jam pateat probata, et confirmata existat per jura, rationes, et doctores, § præced. allegatos, nihilominus, ut pro praxi magis serviat, descendimus ad quædam onera et exactiones in specie.

238. *In specie a tributis ordinariis, (ordinariesteuer.)* — Resp. II. Ecclesie, ecclesiasticæque personæ, earumque bona cuncta etiam propria in specie immunes, et exemptæ sunt ab omnibus illis etiam ordinariis tributis, oneribus, et exactionibus quomodocumque vocatis, quas principes ac domini territoriales subditis, et bonis eorum, v. g. prædiis, fundis, etc. non vi directi domini, quod in talia bona habent, sed ex potestate jurisdictionis suprema, lege quasi ordinaria aut perpetua imponunt pro statu suo decenter conservando, et pro expensis ad justitiæ administrationem, aliisque ordinariis debiti regiminis, ac boni communis necessitatibus, necnon in aliqualem compensationem curarum, et defensionis, ut proin quamvis possessor aliquis prædii, fundi, agri, prati, domus, etc. pro ordinaria hujusmodi exactione, tributo, vel onere (*ordinari Steur oder Anlag.*) ratione talis prædii, fundi, agri, domus, etc. alias dederit decem, viginti, triginta, florenos v. g. tamen si tale prædium, fundus, ager, domus, etc., donatione, emptione, hæreditate, legato, aut alio modo legitime transit ad monasterium aliquod, capitulum, collegium, vel alium locum pium auctoritate episcopi erectum, consequenter religiosum, vel etiam allodialiter ad privatam personam alicujus clerici, canonici v. g. illico tales res immunes evadant ab onere, exactione, vel tributo hujusmodi ordinario, ita ut principes sæculares talibus bonis, quando apud ecclesiasticos manent, penitus nihil amplius imponere, nec prætextu illorum ab ecclesiis monasteriis, vel personis ecclesiasticis aliquid exigere valeant; Abbas, in c. fin. *de Vita, et honest. cleric.*, num. 12; Layman, lib. XIV, tract. IX, cap. vi, num. 4; Guttierrez, lib. I, *Practic. quæst.*, q. 3. num. 15, et 16. Fagnanus, in c. 4. h. t. numer. 9; Felinus, in c. *Ecclesia de Constit.*, num. 67; Tanner, in *Defens. libert. Eccles.*, cap. xii,

prope finem; Lessius, lib. II, cap. xxxv, dub. 3, num. 19, 20 et 21; Mariba, *de Jurisdic.*, p. 4, casu 11, num. 28, ubi ait banc sententiam esse absolute veram; Pirhing, h. t. num. 57; Barbosa, in can. *Si tributum*, 27, cau. 11, q. 1; Pignatell., tom. II, consult. 54, contra Engel, h. t. num. 25 et 26; Abbas, in c. *Non minus*, 4. h. t. num. 16.

239. *Quoad omnia bona etiam propria.* — Et quidem de bonis primi generis, num. 226, explicatis nullus dubitat, ob rationem, et jura num. 227 allegata. Pariter conveniunt doctores, de bonis secundi generis, ita ut teste Fagnano, in c. *Non minus*, h. t., n. 8, nullus discrepet ob jura, et rationes num. 228 allegatas: quibus adde c. 1, *de Censib.* et can. *Secundum*, 24 cau. 23, q. 3

240. Probatur itaque etiam de bonis tertii generis numer. 226 declaratis, et universaliter de omnibus ecclesiarum, ecclesiasticarumque personarum bonis, quod libera et immunia ab oneribus et tributis etiam ordinariis explicatis in conclusione numer. 238 posita. Et imprimis per jura, § præced. præsertim num. 229 citata, et specialiter c. 1. h. t. in 6, cujus textus (quem num. 229 habes) si bene legatur conclusionem plene et efficaciter probare invenietur.

241. *Exactionis nomine venit etiam tributum ordinarium.* — Ex eo enim tale formo argumentum: juxta dictum c. 1. h. t. in 6, non licet illis, qui temporalem jurisdictionem exercent, ullam quamcumque tandem exactionem ecclesiis, aut ecclesiasticis personis, earumve legitime jam acquisitis, vel in posterum acquirendis bonis imponere vel exigere ab eisdem; atqui exactionis nomine veniant etiam ordinaria tributa et onera in conclusione posita; ergo. Major patet ex textu, minor probatur; quia exactio ordinaria nihil aliud est, quam tributi petitio, ut bene notat Calvinus in *Lexic. juridic.*, §. *Exactio*, et manifeste patet ex *Rubric.* et toto tit. C. *de Exactoribus tributorum*, ubi illi, qui petunt, seu colligunt tributa, propterea exactores tributorum dicuntur, ipsa autem petitio tributi, exactio dicitur, l. I et III, et passim C. eod. Pariter « ab exactionibus personarum sæcularium jure divino, » et humano immunes declarantur ecclesie, ecclesiasticæque personæ, c. *Quaquam de Censib.*, in 6. Item ab exactionibus omnibus easdem immunes dicit Auth., item *Nulla, C. de Episcop. et Cleric.* Concordat, c. 1, *de Censib.* ubi sancitum narratur, quod « ne-

que de domibus, neque de areis, neque de hortis ecclesiarum servitium aliquod præstetur præter ecclesiasticum. » Pariter can. *Secundum*, 24, cau. 23, q. 8, ex concilio Parisiensi prohibitum narratur, ne quisquam cujuscunque dignitatis de agris, aut aliis rebus Ecclesie oblati, quamcumque temporalem præstationem exigat; ergo nec tributum ordinarium.

242. *Præstatio tributi est signum subjectionis.* — Probatur etiam ratione: tum quia mutata persona mutatur qualitas, et privilegium inhærens rei ratione personæ. Guttierrez, loc. cit. arg. l. *Locatio* 9, § fin., ff. *de Public. et vectigal.* Tum quia exactio tributi præsertim ordinarii est signum jurisdictionis in eo, qui exigit; et subjectionis in eo, a quo exigitur, et qui solvere obligatur; atqui laici nullam habent jurisdictionem in ecclesias, vel ecclesiasticas personas, nec hæ sunt eis subditæ, vel subjectæ, uti omnes etiam adversarii fatentur; ergo. Minor est certa. Major constat ex dictis supra numer. 230, et ulterius evidenter patet ex c. 2, *de Censib.*, ibi: « Et vos subditi esse debetis, ideo enim tributa præstatis; quia hæc est probatio subjectionis. » Accedunt declarationes cardinalium plures, quas vide infra numer. 264, 266, 268, 269, et seq.

243. *Etiam si respectu honorum petatur.* — Objicies I. Cum adversariis dicendo, principes territoriales non exigere tributa, seu onera ordinaria ab ecclesiis, vel personis ecclesiasticis absolute, sed « intuitu et respectu honorum » ad eas pertinentium. Resp. Hoc ipsum etiam, et hunc prætextum expresse esse rejectum cit. c. 1. h. t. in 6, ubi postquam conquestus est Papa, quod domini laici ab ecclesiis, et ecclesiasticis personis exactiones faciant « prætextu honorum, quæ acquisiverunt, statim declarat id minime licere, etiamsi (ut ibi additur) ecclesie personæ, ac res hujusmodi sint intra illorum districtum, et territorium constitutæ; » quia nempe per hoc clerici non sunt, nec fiunt subditi aut subjecti laicis dominis, quod tamen requiritur ad hoc, ut ab aliquo tributum peti possit, arg. cit. c. 2. *de Censib.*, in 6.

244. *Solvuntur varii textus juris.* — Objicies II. varios juris textus, ex quibus clare patere videtur, quod ecclesie, ecclesiasticæque personæ de bonis saltem exterioribus, id est, ad dotem ecclesie non pertinentibus, sed alio laicali titulo, v. g. emp-

tione, hæreditate, arte, labore, etc., acquisitionis, principi territoriali tributum, seu exactiones ordinarias, quas de iis tanquam ad ecclesiam, monasterium, vel privatam clericum pervenerunt præstare debuerunt priores possessores. Nam can. *Si tributum*, 27, cau. 11. q. 1, expresse dicitur: « Si tributum petit imperator, non negamus: agri ecclesiæ solvunt tributum. » Concordat, can. 28, *Magnum*, ead. cau. et q. can. *Convenior*, 21, cau. 23, q. 8, et can. *Tributum*, 22, ead. cau. et q. ibi: « Tributum in ore ipsius, piscante Petro, inventum est; quia de exterioribus suis, quæ palam cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit. » Rationem statim infra subjungit Papa illis verbis: « Quia de exterioribus ecclesia, quod constitutum antiquitus est pro pace, et quiete, qua nos tueri, et defensare debent, imperatoribus solvendum est. » Imo Christus ipse verbis et exemplis docuit tributum etiam ab ecclesiasticis esse dandum; dum *Matth.*, xxii, 21, dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*: ac rursus *Matth.*, xvii, 26, iussit pro se, et Petro dari tributum; ergo. Resp. Textus canonum non loqui de tributis proprie talibus, quæ vi jurisdictionis supremæ subditis imponuntur, sed quatenus significant onus mere reale inhærens ipsi rei inseparabiliter vi pacti, contractus, aut domini ad tertium genus spectantis, cujusmodi res propterea exteriores vocantur, can. *Tributum*, cau. 23, q. 8, et ibi Glossa *Y. Exterioribus*. Et ita interpretari nos jubent alii juris textus clare disponentes, quod ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, et bona ipsarum cuncta ab omnibus exactionibus quibuscunque, consequenter etiam a tributis sint immunes, arg. c. *Quia circa*, 22, de *Privileg.* et l. *de Pretio ff. de Publician. in rem act.* Quod si contendas antiquos canones loqui etiam de proprie dictis tributis, resp. eos esse correctos a novis, præsertim c. 1. h. t. in 6, et per *Bullam Cænæ*, § 18, ac § 28, necnon per *Bullam Urbani VIII*, ponendam infra num. 274.

245. *Onus reale proprie tale quid sit?* — Obijcies III. Quævis res transit cum onere suo, c. *Cum non sit*, 33, de *Decimis*, seu prædia, agri, domus, aliaque hujusmodi bona, antequam ad ecclesiam, vel ecclesiasticam personam venerint, erant subjecta tributis præsertim ordinariis, ac aliis exactionibus; ergo manebunt eisdem subjecta, etiamsi

ad ecclesias, vel ecclesiasticas personas transeunt. Resp. disting. mag. Resp. transit cum onere suo vere, proprie ac formaliter reali, seu quod præstatur propter rem ipsam nullo habito respectu possidentis, conceditur: res transit cum onere reali non proprie et formaliter, sed tantum materialiter tali, sive quod præstatur ratione personæ, quatenus hæc subjecta est exigenti onus, negatur. Pro intelligentia hujus responsionis bene notandum cum Pignatelli, cit. tom. II, consult. 54, numer. 3. Onera realia alia esse simpliciter et formaliter, seu proprie talia: alia vero materialiter tantum talia formaliter vero personalia. Simpliciter formaliter, ac proprie realia sunt, quæ præstantur propter rem ipsam nullo habito respectu personæ possidentis, qualia sunt v. g. onera ex speciali pacto, aut contractu rei inviolabiliter ac perpetuo inhærentia: item canon ac census annuus in re emphyteutica, onus annexum feudo, etc., quæ onera præstantur ob ipsam rem præcise quia nempe talis v. g. emphyteutica, aut feudalis est, nullo habito respectu ad personam, sive hæc subjecta sit sive non: sic enim si rusticus comiti rem daret in emphyteusim, teneretur hic ei præstare canonem annuum ob ipsam rem, et hoc onus transit cum re sua, ut dicitur infra. Onus autem reale improprie, et materialiter natum tale est, quod imponitur rei ratione personæ, quatenus hæc subdita et subjecta est imponenti onus, licet in impositione habeatur respectus ad bona et res ipsius, ac proin juxta quantitatem et qualitatem rerum taxetur, ac exigatur. Talia onera improprie realia sunt non tantum exactiones, et tributa ordinaria, quæ pro diversitate necessitatis, aut exigentiæ augentur, et minuuntur, sed etiam ordinaria pro principis sustentatione, communibusque et ordinariis necessitatibus imponi solita; hoc ipso, quod eorum solutio sit signum subjectionis c. 2, de *Censib.* Et propterea non nisi subditis imponi possint. Et hoc onus non transit cum re sua; quia ipsi rei invariabiliter non inhæret, sed in signum subjectionis præstatur, consequenter cessat, si ad eum, qui subditus seu subjectus non est, deveniat, cum mutata persona mutetur qualitas rei inhærens ratione personæ juxta dicta num. 242, ad communem doctorum. Et hoc bene notandum est; vide de hoc etiam Pirhing, h. t. nu. 65, et n. 71, ubi falsum et omnino erroneum asserit, dicere

tributa esse onera vere realia ac perpetua, et cum rebus ad clericos transire.

246. *Princeps non potest facere bona taliter tributaria, ut tributum cum re transeat ad ecclesiasticos.* — Dices: Principes et potestates jurisdictionis supremæ possunt facere, et censentur facere omnia bona sita in suo territorio tributaria, ita ut eidem pro solutione tributi saltem ordinarii censeantur cuncta bona subditorum hypothecata, ut tenet Bart., in l. *Rescripto*, § fin., num. 5, de *Min.*, ergo hoc ipso talia bona habent sibi inhærens antiquum ac perpetuum onus reale, quod consequenter cum ipsa ad quemvis etiam Ecclesiasticum transit, arg. cit. c. *Cum non sit*, 33, de *Decimis*. Resp. distinguendo. Possunt facere pro subditis, conceditur; pro ecclesiis, et ecclesiasticis personis, qui subditi laicorum esse non possunt, negatur; et ideo Bart., opinio quoad ecclesias, et ecclesiasticas personas communiter est reprobata, teste Fagnano in c. *Non minus*, h. t. num. 11, ubi citat Rotam: unde si princeps faceret tale statutum, includendo in genere, vel in specie etiam clericos, dicendo v. g. « Volumus, ut de hoc prædio singulis annis pro bono communi tantum præstetur tributum, ad quemcunque deveniat; » sive, « etsi etiam ad ecclesiam, vel ecclesiasticas personas deveniat, » respectu ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum illicitum simul et invalidum foret, utpote militans contra libertatem ecclesiasticam, ut pluribus citatis Rotæ decisionibus, et cardinalium declarationibus, bene docet Pignatelli, tom. II, consult. 54, arg. c. *Adversus*, h. t. et *Bulla Cænæ*, § 18.

247. Confirmatur responsio ad tertiam objectionem, et subsequentem instantiam: si hæc obiectio aliquid probaret, nimium probaret, videlicet, quod onus solvendi tributa transiret ad ecclesias, et personas ecclesiasticas etiam cum illis bonis, quæ pro foundatione, aut donatione ecclesiæ, aut beneficii a fidelibus oblata sunt, vel in futurum offeruntur; cum ratio et argumentum æque in his ac illis militet; atqui hoc est contra unanimem, juxta Fagnanum in cit. c. *Non minus*, h. t. num. 8, et clara jura, can. *Secundum*, 24, can. 23, q. 8, et c. 1, de *Censib.*, ergo.

248. *Ecclesiæ et ecclesiasticæ personæ etiam de rebus propriis non tenentur ad vectigalia, telonia, gabellas, etc.* — Resp. III. Ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, et ipsarum etiam

proprie ac patrimoniales res sunt quoque in specie immunes a vectigalibus, teloniis, pedagiiis, quidagiis, gabellis, *Mauth*, *Zoll*, *Aufschlag*, accis, etc. (prout hæc nomina explicavimus supra tit. XXXIX. de *Censib.* § 3, n. 39.) nisi negotiationis causa res suas alio deferant, vel deferri faciant. Barbosa, in c. *Quanquam*, de *Censib.* in 6. et ibi Ancharanus, n. 2. Gutierrez, de *Gabell.* q. 87, per totum; Engel, h. t. n. 29; Pirhing, h. t. n. 62. cum communissima aliorum tam theologorum, quam canonistarum per jura supra n. 229. citata; cum enim vi eorum immunes dicantur ab omnibus quibuscunque oneribus, et exactionibus laicorum, etiam a positis in conclusione erunt liberi, arg. c. *Quia circa*, de *Privileg.* Probatur de iisdem etiam in specie ex cit. c. *Quanquam*, de *Censib.* in 6. ubi expresse statutum, ac declaratum habetur: « Ecclesias, et ecclesiasticas personas ad pedagia, et quidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum vel solvendum talias pro rebus suis propriis, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, aut transmittunt, et contraria consuetudine quorumcunque, quæ dicenda est corruptela verius, non obstante. » Huc faciunt etiam declarationes cardinalium infra præsertim n. 266. positæ.

249. *Nisi negotiationis causa aliquid deferant. Negotiatio, quid?* — Dicitur autem notanter, « nisi negotiationis causa, » etc. quia hæc limitatio aperte colligitur ex cit. c. *Quanquam*, de *Censib.* in 6. ubi illæ tantum res clericorum a præfatis oneribus dicuntur immunes, « quas non negotiationis causa deferunt, vel deferri faciunt; » ergo a sensu contrario, si negotiationis causa faciunt, immunes non sunt, uti loc. cit. bene argumentantur Barbosa, et Ancharanus, Gutierrez, loc. cit. q. 9. n. 3. Dicitur autem negotiari ille, qui more mercatorum rem aliquam, mutatione, emptione, aut alio contractu acquirit, et comparat eo animo, ut eam revendendo lucrifaciat. Gutierrez, loc. cit. n. 16. dicens esse omnium sententiam; et magis patebit ex tit. seq.

250. *Deductiones practicæ.* — Inferitur proin cum Gutierrez, loc. cit. n. 17. quod clericus non dicatur negotiari, consequenter ad præfata onera non teneatur, quando emit aliqua eo animo, ut eisdem utatur, aut fruatur, licet postea animo mutato, et ex accidenti vendat; quod idem etiam observat Sylvester, *Y. Excommunicatio*. 9. n. 46. in

fine; Navarrus. in *Manual.* cap. xxvii. n. 128, et aliis communiter.

251. Infertur II, non esse negotiatorem, nec ad vectigal, vel gabellam teneri clericum v. g. parochum, aut alium beneficiatum, qui redditus et fructus beneficii sui v. g. frumentum, vinum, oleum, lanam, animalia, etc. vendit. Guttierrez, loc. cit. n. 36. et 37; Barbosa, loc. cit. n. 6; Engel, loc. cit.

252. Infertur III, non teneri ecclesiasticas personas ad gabellam, quatenus hæc accipitur pro certo onere pecuniario imposito cerevisiæ, carni, vino, vel aliis victualibus, *Auffschlag*, vel pro certa parte pretii, quo res venditur, *Accis*, ut proin, licet venditores ob gabellam, rem carius vendere queant, tamen respectu personarum ecclesiasticarum id facere non possint: dummodo hæc illis sufficientem attestationem tribuant de quantitate ab ipsis empta, ut venditores quoque indemnes serventur. Pariter, licet, si clericus vendat suos fructus, ad gabellam teneatur laicus emens, tamen ad eandem non teneatur clericus vendens.

253. *Ecclesiæ et ecclesiasticæ personæ tenentur ad tributa extraordinaria urgente necessitate imposita.* — Resp. IV. Ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac bona ipsarum quælibet immunes et exemptæ sunt insuper ab omnibus exactionibus, collectis, tributis, et oneribus novis, et extraordinariis, etiam illis, quæ ob bonum commune reipublicæ in casu necessitatis tam clericos, quam laicos tangentis imponuntur, ita, ut quacunque necessitate etiam belli, famis, pestis emergente, ab eis, vel bonis ipsarum nihil exigi possit, nisi certæ a sacris canonibus requisitæ conditiones necessitatis concurrant. Abbas, in c. fin. *de Vita et honest. cleric.* q. 12. et in c. *Non minus.* 4, h. t. n. 3; Jacob. Pignatell. tom. III, consult. 15, per totum, ubi peregre hanc materiam tractat, Fagnanus, in c. *Non minus.* 4, h. t. a, n. 45; Bellet. *Disquisit. cleric.* p. 1. tit. *de Exempt. cleric.* § 2, n. 5; Barbosa, in c. *Non minus.* 4, h. t., cum communissima canonistarum. Probatur per jura hæc tenentur allegata, vi quorum cum ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ ab omnibus exactionibus, oneribus, collectis, tributis, et præstationibus dicantur immunes, etiam ab extraordinariis urgente necessitate, et ob bonum commune impositis erunt immunes, cum lex generaliter loquens, generaliter sit intelligenda,

arg. c. *Quia circa. de Privileg.* et « ubi Jus non distinguit, » nec nos distinguere debeamus, l. *de Pretio. ff. de Publician. in rem act.* præsertim in materia favorabili, in qua ampliatio potius, quam restrictio fieri debet, c. *Odia. de Reg. jur.* in 6. Probatur specialiter ex cit. c. *Non minus.* 4, h. t. c. *Adversus.* 7, h. t. et Extravag. *Quod olim.* eod. ubi certæ conditiones requisitæ præscribuntur, ad hoc, ut ecclesiastici ad sublevandas communes necessitates contribuere teneantur. Ratio præter jam supra allegata est: quia, ut bene advertit Guttierrez, si ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, et bona ipsarum immunitate reali et personali tantum gaudent extra casum necessitatis communis, hæc eis parum prodesset, cum tributa, collectæ, exactiones non nisi ob bonum commune imponi possint, et principes sæculares in quovis casu commune bonum facile allegarent.

254. *Nisi sex concurrant conditiones.* — Resp. V. Sex requiruntur conditiones ad hoc, ut ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ tempore necessitatis teneantur etiam ad collectas, exactiones, et contributiones extraordinarias, videlicet. I. Ut necessitas, vel utilitas sit gravis. II. Communis, tam clericos quam laicos tangens. III. Ut laicorum facultates non sufficiant. IV. Ut episcopus cum clero prius deliberet et cognoscat, an ex parte reipublicæ tanta sit necessitas, et ex parte laicorum tantus mediorum defectus, ut de bonis quoque ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum succurrendum sit? V. Ut consulatur prius Romanus Pontifex, nisi sit periculum in mora. VI. Ut existentibus præfatis sex conditionibus, collectæ et onera non imponantur aut exigantur auctoritate laicali, sed ecclesiastica. Communis ac certa ob claram dispositionem canonum n. præced. citatorum. Nam c. *Non minus.* h. t. ita habetur: « Nisi episcopus, et clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesiam existentem conferenda, » c. *Adversus.* 7. eod. vero, postquam dictum est ecclesiæ, et ecclesiasticos « taliis, seu collectis, et exactionibus aliis gravari non posse, » additur: « Verum, si quando forte episcopus simul cum clero tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerit, ut absque ulla exactione ad relevandas utilitates, vel

necessitates, communes, ubi laicorum non suppetunt, subsidia duxerit per ecclesias conferenda, prædicti laici humiliter, et devote recipiant cum gratiarum actione. Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. » Quod utrumque capitulum de novo confirmatur, et exacte observari strictissime mandatur. Extravag. *Quod olim.* eod. ac in Bulla *Cæne Domini.* § *Quique collectas.* 18. ibi: « Quique collectas, decimas, taleas, præstationes, et alia onera clericis prælatis, et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum, et ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, et proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, et expressa licentia imponunt, et diversis, etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt. Necnon qui per se vel per alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status etiam, etiam si imperiali, aut regali præfulgeant dignitate, seu principes, duces comites, barones, et alii potentes quicunque, etiam regni provinciarum, civitatibus, et terris quoquo modo præsidentes, consiliarii, et senatores, aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti, innovantes decreta super his per sacros canones tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis conciliis generalibus edita, etiam in censuris, et pœnis, in eis contentis.

255. *I. Necessitas gravis.* — Porro, ut singulæ conditiones melius intelligantur, breviter de singulis aliqua dicemus. I. Itaque requiritur gravis necessitas, vel utilitas. Fagnanus, in cit. c. *Non minus.* 4, h. t. n. 25. et ibi Butrius, n. 8. ubi ait: « Maximam requiri necessitatem, aut utilitatem. » Pirhing, eod. n. 71. § Secundo requiritur, cum communi aliorum, et patet ex c. *Non minus.* et c. *Adversus.* h. t. ibi: « Nisi tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerint: » hinc inferunt citati doctores non sufficere quamvis necessitatem.

256. *II. Communis clericos, æque ac laicos tangens.* — II. Requiritur, ut necessitas, vel utilitas sit communis tam clericos, quam laicos tangens. Fagnanus, loc. cit. Abbas,

loc. cit. n. 18. ubi ait, ita sentire utriusque juris illuminatores, arg. cit. *Duobus capitulis.* 4. et 7. h. t. ibi: « Communes necessitates, et utilitates. » Hinc non sufficit necessitas vel utilitas etsi communis, solos tamen laicos concernens, multo minus unum aut alterum tangens.

257. *III. Ut laicorum facultates non sufficiant, quæ prius erunt discutiendæ, et quomodo?* — III. Requiritur, ut ad sublevandam talem communem gravem necessitatem, laicorum facultates non sufficiant. Communis ac certa claris juribus c. *Non minus.* h. t. ibi: « Ubi laicorum non suppetunt facultates, » quod idem repetitur, c. *Adversus.* eod. et Extravag. *Quod olim.* eod. Hinc antequam deveniatur, ad clericos, prius discutienda erunt bona non tantum communia Reipublicæ, ac communitatum laicalium, sed etiam singulorum civium non physice, sed moraliter, ut bene advertit Diana, p. V, tr. I. resolut. 11; Pignatell. tom. III, consult. 15, n. 33. probans id ex variis indultis pontificum ad instantiam laicorum pro eorumdem favore urgente necessitate concessis. Videlicet Urbani VIII. pro ducatu Mediolanensi apud Marchin. *de Peste.* p. 4. cap. vi. n. 29. et pro civitate Panormitana apud Delbene *de Immunit.* cap. v. dub. 20. n. 7. et Clementis VIII. pro Florentinis apud Martham *de Jurisdic.* p. 4. centur. 1, cas. 1. n. 49, et quibus pontifices mandant nuntiis, et ordinariis, « ut discussis prius facultatibus communitatum, ac universitatum, et hominum, sive laicorum, et his inventis non sufficere, cogant ecclesias, et ecclesiasticos ad contributionem faciendam. » Hinc audiendi non sunt Castro Palao, p. 2. tr. 12. disp. un. punc. 9. n. 9. et Pirhing, h. t. n. 72. dicentes esse tantum attendendas et discutiendas communes facultates civitatum ac locorum, et illis non sufficientibus, debere contribuere clericos. Et certe si hæc doctrina procederet, privilegium clericorum facile frustraretur, cum ordinarie æraria communia civitatum, et aliorum locorum tam pingua non sint, ut sufficiant ad sublevandas extraordinarias graves necessitates belli, vel alterius casus, uti bene advertit Jacob. Pignatell. Fusc de hac conditione scribentem vide Nicola. Boer. decis. 133. cum tribus seqq.

258. *IV. Ut episcopus cum clero prius deliberet. Quid per clerum hic intelligatur?* — IV. Requiritur, ut episcopus cum clero prius